

stituentes. Vbi ex *l. 1. Meteor. c. 3. & 4.* sciendum, in hâc acceptione; ignem dici, non culinarem, ut vocatur, s. propriè ita dictum, sed corpus illud levissimum, tenuissimum, calidum & siccum, quod statim sub ipsâ cœli conversione situm, adeoque concavo lunæ proximum est, quod communiter suprema aeris pars dici consuevit. Hoc enim quamvis ignis propriè dictus non sit, tamen cum ob motum cœli rapidissimum calidum sit & siccum, adeoque ignis potiùs quam aeris rationes habeat, per analogiam s. similitudinem ignis & æther à veteribus dictum est, cum aliud nomen non suppetat. *V. loc. cit.* Sub hoc aër (propriè ita dictus) vaporosus collocatus, sub aëre aqua, sub aqua terra in medio universi (loquimur ex communibus hypothefibus) sita est. Atque hæc quatuor (vel si quis aërem vaporosum & humidiores & aërem siccum, pro uno sumat, tria,) unâ cum cœlo ambiente, & ex hypothefi Aristotelis circulariter mobili, elementa mundi & prima corpora naturalia s. mobilia sunt & dicuntur: quâ ratione in libris de cœlo s. mundo de iis egit Aristoteles.

4. II. Quatenùs sunt prima corpora generabilia & corruptibilia, adeoque elementa & principia reliquorum, per naturam generabilium & corruptibilium s. mixtorum corporum omnium: & sic in specie elementa generationis dicuntur, ex quibus mixta omnia constant, & in quæ ultimato resolvuntur, prout in libris de gener. & corr. eadem consideravit Philosophus. Vbi rursus observandum, in hâc consideratione non tam ignem, aërem, aquam, & terram, propriè ita dicta, elementa mixtorum vocari (non n. v. g. ex igne propriè dicto, qualis est, qui culinaris dicitur, quicquam (mixtum scil.) generatur, uti nec ex glacie *l. 2. de gen. & corr. c. 3.*) quàm ea potiùs, quæ illorum rationes habent, modò
 A 3 simpli-